





1778,2  
4270  
BIGA

ORATIONVM  
ACADEMICARVM;

A V T O R E

IOANNE DIETERICO MELLMANN

IVRIVM DOCTORE ET ANTECESSORE IN ACADEMIA

REGIA KILONIENSI.

---

---

KILONII ET HAMBVRGI APVD BOHNIVM.

MDCCCLXXVIII.



ATQVE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
**FRIDERICO LEVIN**  
S. R. I. COMITI  
**DE HOLMER**  
DOMINO IN TANGSTEDE ETC.  
SERENISSIMI ATQVE REVERENDISSIMI  
EPISCOPI LVBECENSIS  
DVCIS SLESVICI HOLSATIAE STORMARIAE  
DITMARSIAE ET OLDENBURGI RELIQUA  
STATVS MINISTRO ET CONSILIARIO INTIMO  
NEC NON  
STATVS PER DVCATVM OLDENBURGENSEM  
SVMMO DIRECTORI

MAGNI RVSSORVM DVCIS  
CVBICVLARIO  
ORDINVM  
AQVILAE ALBAE  
SANCTAE ANNAE  
SANCTI STANISLAI  
EQVITI  
HEROI TOGATO  
DOMINO SVO GRATIOSISSIMO  
SEQVENTES MEDITATIONES  
IN GRATI ET DEVOTI ANIMI DOCVMENTVM

SACRAVIT

IOANNES DIETERICVS MELLmann D.

DE LEGITIMO IVRISPRUDENTIAE  
ROMANAЕ ET ARTIS  
MEDICAE  
CONNVBIO

AD TITVLUM C. DE PROFESSORIBVS ET MEDICIS.

---

ORATIO

DICTA

IN

PANEGYRI MEDICINAЕ DOCTORIS CREANDI  
CAVSA

PROCANCELLARII

VICE AC NOMINE.



## VENERANDA AUDITORVM CORONA!

In ornanda iurisprudentiae ROMANAЕ memoria, origine, sapientia & fama principis obseruari meretur, sensum veri, pulchri atque honesti montem veluti fuisse, ex quo vberrima legislationis ROMANAЕ permanarunt flumina; ideoque quod rectum perfectumque sit in artibus & moribus omnino vidisse ROMANOS, & vt viderentur curasse illa scilicet, quae bona appellamus, excellentiora & prae reliquis pulchra, non pulchermissim solum nominibus appellantes, sed & stipendiis etiam atque honoribus celebrantes; e contra autem aduersa iisdem mala eo turpiora atque magis probrosa contemnentes pariter ac poenis & odiis a republica arcentes <sup>a)</sup>. Exempla huius artis legitimae

a) Iuuat egregium iudicium ORTW: WESTENBERGII de iuris ROMANI virtutibus ex eiusdem praefatione ad principia Digestorum apponere: „Ex quo ad iurisprudentiam animalium applicui, non semel subiit admirari superciliosum quorundam de iure nostro ciuilidicium, dum nullud tanquam plurimis natus scatens despicunt, & in eos inuehunduntur, qui ius IVSTINIANEVUM reduxerunt, & in usum reuocarunt; simo inter maximos reipublicae morbos referunt, quod legibus vtram ROMANIS; cum nullum unquam ius praeciarius constitutum sit, neque diligentius. Non enim libitorum, quibus ius IVSTINIANEVUM continetur, solus IVSTINIANVS auctor est, ne quis hanc sapientiam ab illo uno repeti putet,

„Sed exponuntur in iis iura POPVLI ROMANI, vti ipse Imperator facteri non erubescit. §. I. I. de I. N. „G. & C. Quorum alia petita sunt a sapientissimis ATHENIENSIVM, a liorumque, ciuitatibus; alia vero ab iis, qui in populo ROMANO, aut Reipublicae, aut iuridicundo, aut huic ipsi interpretando praefuerunt. „Quales ab ultima memoria viribus conditae, longa successione, homines summo ingenio, acerrimo iudicio, & maxima doctrina praediti prope fuere innumerabiles, qui in tanto ac tam diuturno imperio, aretem aequi bonique in inumeris obuenientibus casibus excolentes, & naturalem aequitatem ubique applicantes, longo plurimam ac grauissimarum rerum vsu, & quotidiana experientia docti, facile vi-

## VIII

legitimae virtutis infinita exstant adeo, vt delectum prope sua impedian copia. Vtar paucis, neque e longinquo arcessitis. Medici periti, solertes, prudentes depulsa morborum vi integratatem membrorum restituunt, corpus defendunt, vitam servant. Itaque inter ea, quae hominum generi praeclarum decus atque ornamentum conciliant, praecipue merito habetur artis medicae celebritas. Quo autem nobis carius esse debet medicorum cum salute totius reipublicae coniunctum beneficium,

„derunt, quid aequius melius esset,  
„quidque Reipublicae recte consti-  
„tuendae regendaeque conveniret,  
„eaque que cognoverunt, non mi-  
„nor fide, integritate, diligentia tra-  
„diderunt. v. Don. Praef. & l. I.  
„Comm. c.16. Neque leges continent  
„tantum civiles, sed & decisiones  
„plerumque causarum incidentium,  
„ex aequitate & iure naturali colle-  
„ctas & deductas. Quod cum vbi-  
„que idem sit, non potuit sane non  
„summa aequitatis ratio maximam  
„hunc iuri conciliare auctoritatem,  
„non tantum apud ROMANOS, eos  
„que qui imperio Romano fueruere subie-  
„cti, sed etiam extraneos, vt ad quos  
„populos arma Romana nunquam  
„pertingerere potuerunt. Leges Roma-  
„nae fine vi vlla, iustitiae suae vi  
„triumphantem peruenierint; omnes  
„que fere gentes Europeae ad Legem  
„Romanam, cessante jure patrio,  
„cuius vt plurimum maxima est an-  
„gustia, tanquam ad communem  
„europaia, configendiā censuerint.  
„Quae juris Romani iustitia ex fin-  
„gulis eius partibus vsque adeo elu-  
„cet, vt cuius sit obuium, maxime  
„vero ex sanctissimo illo iustitiae  
„templo DIGESTIS sc. seu PAN-

„DECTIS. Vix enim in Pandectis  
„vllum fragmentum est, in quo non  
„grauitatis, prudentiae, aequitatis  
„vis, non eruditae vetustatis maie-  
„stas emineat. Apparet ibi prisca in  
„respondendo fides & religio, a qua  
„veteres illi iuris auctores, SERVIVS  
„SVPICIVS, SCAEVOLA, alijque  
„commendabantur. vid. c.1c. Phil. 9.  
„c.5, & in Brut. c.39. & seqq. Ita omnes  
„illii, quorum Responsa in Pandectis  
„habemus, scriperunt, vt in summa  
„breuitate nihil sit aptius, aut con-  
„uenientius, in summa dignitate re-  
„rum nihil elegancias, auricundius,  
„Cumque in his auctoribus maxima  
„varietas sit, si numerum species, ta-  
„men vt in iure veritatem, & certi-  
„tudinem in oratione agnoscas, tan-  
„tus ac tam singularis inter omnes  
„est consensus, vt si fragmentis au-  
„torum nomina, & inscriptiones  
„detraxeris, vnum te auctorem in  
„omnibus intueri putes. DONELL d.  
„l. Nescias, vtrum diligentia an gra-  
„uitas, prudentia an aequitas, sci-  
„entia rerum, an orationis dignitas  
„praestet, & maiori laude digna esse  
„videantur. L. VALLA Eleg. L. 3.  
„Praef."

cium, eo maiora vituperia cadunt in eorum ordinem; qui splendidum medicorum nomen mentientes, imperitia sua morbos in corpora affecta inuitant, & morti strenuas ferunt suppeditias. Quae cum ita se habeant, & medicorum artes & virtutes ita sint comparatae, ut salus ciuium, quae vna magna esse debet in rebus humanis, maxime inde incrementa ac detrimenta capere possit: quid inde mirum, ad vim artis istius diuinac in pietatis & utilitatis publicae causam dirigendam magnificos sensus & gloria studia adhibuisse legum ROMANARVM auctores? DE HOC LEGITIMO ARTIS MEDICAE ET IURISPRUDENTIAE NOSTRAE CONNUBIO, FIVE DE VARIIS STUDIIS PRINCIPVM & ICTORVM ROMANORVM IN ARTEM MEDICAM, pauca verba facere est animus ad VOS AUDITORES, haud invitatos, quod VESTRVM omnium virtutum aequus aestimator grata mente agnosco.

Sicuti autem ICtorum, quoties de rebus ad coniugium pertinentibus consuluntur, prima ac summa visio seu circumspetio merito esse solet de personis, & num qua in iis adiunt matrimonii legitimi & rati impedimenta, ita factum, ut antea, quam de dote, & de arcto indissolubilique istarum disciplinarum vinculo conveniatur, in tanta & tum manifesta descendae & tractandae medicinae perversitate rationem habuerint legumlaatores virtutum, quibus perfecti medici laus continetur.

Virtus illa medicorum, quam venustissimam quasi virginem domum ducunt rerumpublicarum rectores, non est corporis, sed mentis praestantia, nec illa a natura plerisque data, studiis, labore in lucem edita, meditatione diurna atque nocturna educata, pulchritudine sua eminent, communi ciuium utilitati inseruiens. Exinde patet, cur Iurisprudentia connubiali vinculo sibi non coniungat medicos, neque iis honoris aliarumque rerum dotem addicat, qui nihil verae & duraturaе utilitatis ab

artis medicae studio in rempublicam proferant, sed iis tantum connubio se iungat stabili, qui rectius percipiendae, retinendae, exercendae, & ad usum vitae salubrius conservandae huius disciplinae habeant rationem. Quid ergo? his argumentis ductis ANTONINVS Imperator <sup>a)</sup> nec non DIOCLETIANVS & MAXIMINVS Augusti solis iisdem medicis immunitatem ab oneribus publicis tribuendam rescripsérunt, qui reipublicae causa absint, & numero medicorum statuto contineantur. Inde porro legumlatores causas mali, in quibus resident vitia sive impedimenta, quo istius coniugii spes & pulcherrimi studii fructus intercipiuntur, salutaribus constitutionibus remouerunt. Sed quo resident ista vitia? vbi causa tanti est mali? Scilicet, vt mihi, nec vt opinor, temere habeo persuasum, prima omnium causa latet in peruerso educationis formosissimae illius puellae genere, sive in peruerso medicinae discendae modo, itemque in mala viuendi ratione. Recte obseruat IVSTINIANVS prius animas, & postea linguis eruditas fieri oportere. Itemque prius, dicit PLINIVS <sup>b)</sup> instruenda est iuuentus bonis moribus, sine quibus male eloquentia discitur. Atque ideo Imperator IVLIANVS AVGVSTVS disciplinae & vitae melioris instituenda <sup>c)</sup> medicis auctor fuit. Hac ratione ille & similiter Imperatores VALENTINIANVS & VALENS in rescripto ad OLYBRIVM directo <sup>d)</sup> in medicis ad rempublicam admouendis requirunt acque ac de Professoribus, caeterisque pacis heroibus MORVM INTEGRITATEM, sive vitae honestatem, & decorum, SOLIDIORIS DOCTRINAE SCIENTIAM per examen publicum explorandam, & denique FACUNDIAM tum ad docendum, tum ad differendi & praxin exercendi subtilitatem aptam;

<sup>a)</sup> L. I. & 5. C. de professor. & medicis.

<sup>b)</sup> Lib. III. epist. 3. in f.

<sup>c)</sup> L. 7. C. de Profess. & Medicis

<sup>d)</sup> L. IO. eod. tit.

aptam; ab omni spe istius coniugii plane remotis, quibus placet  
dicterium: FACIAMVS PERICVLVM IN ANIMA VILI, qui-  
bus pro curatione nec sostrum, nec herbarum pretium debetur  
a) quia ex sua improbitate nemo quicquam consequi debet b),  
modo, quod herbarum pretium attinet, pharmacopolas exci-  
pias, quia his concessum est ius vendendi medicamenta. Re-  
pellitur ergo semper medicastrī intentio exceptione turpis & in-  
iustae causae. Quid? si quis ei iam quid soluerit, optimo iure  
repetitur, quia in solo accipiente, non in dante turpis adest  
causa. „Magistros & medicos, aurea sunt verba, IVLIANI  
„ISTIVS studiorumque doctores excellere oportet moribus  
„primum, deinde facundia. Sed quia singulis ciuitatibus adesse  
„ipse non possum, iubeo; quisquis docere vult, non repente  
„nec temere profiliat ad hoc munus, sed iudicio ordinis proba-  
„stus, decretum curialium mereatur optimorum conspirante  
„consensu.” In idem placitum conspirarunt VALENTINIANVS  
& VALENS hunc in modum constituentes: „Si quis in archiatri  
„defuncti locum est promotionis meritis aggregandus, non ante  
„seorum particeps fiat, quam primis, qui in ordine reperi-  
„tur, septem vel eo amplius iudicantibus idoneus approbetur:  
„ita tamen ut, quicunque fuerit admissus, non in priorum  
„numerum statim veniat, sed eum ordinem consequatur, qui  
„caeteris ad priora subiectis ultimus poterit inueniri.” Placue-  
runt optimo sane iure principibus, quae de medicis imperitis  
PALINGENIUS in Zodiaco vitae iudicauit hisce versiculis:

*Carnifices hominum sub honesto nomine sunt.*

*O miserae leges, quae talia crimina feris!*

*O laeui reges, qui rem non cernitis istam!*

*Vos, quibus imperium est, qui mundi frena tenetis.*

B 2

Ne

a) HOMMEL Rasp, obs. 261. LVDE-  
WIG insti<sup>t</sup>, medic. for. §. 150.

b) L. 134. §. I. D. de regul. iur.  
L. 12. §. I. D. de furtis.

Ne tantum tolerate nefas, hanc tollite pestem;  
 Consulite humano generi. Quot nocte dieque  
 Horum carnisca culpa mittuntur ad circum?  
 Vel perfecte artem discant, vel non medeantur.  
 Nam si aliae peccant artes, tolerabile certe est:  
 Haec vero, nisi sit perfecta, est plena pericli.

Talis, qualem nunc vidimus, medicorum virtus, connubiali iungitur vinculo ordinis legumlatorum & ICtorum, quorum summa cura esse debet, ne conspiratione inimicorum ciuium rusticitate, stultitia & imprudentia, seu temporum vitio VIRTVS aeterna virgo in lare secreto vitam degat, vel cum nubibus sese copulet, ex quo concubinatu monstra procreari evictum est <sup>a)</sup>. Id si Rectorum vitio contingret, e re sane esset, virtutem in perpetuo coelitatu minus laute, minus splendide, neque tamen minus iucunde conscientiam recti viuere. Nam egregie cecinit CLAVDIANVS.

*Ipsa quidem virtus premium sibi, solaque late  
 Fortunae secura nitet, nec fastibus ullis  
 Erigitur, plausuue petit clarescere vulgi,  
 Nil opis externae cupiens, nil indiga laudis,  
 Diuitiis animosa suis, immotaque cunctis  
 Casibus ex alta mortalia deficit arce.*

Sed salua res est. Iurisprudentia scilicet medicorum virtutem vltro ambit, eamque blande vestigat. Docent id egregiae & splendidae dotes, quas iurisprudentia, non Romanorum more, quo dos erat pecunia ab vxore marito data ad onera matrimonii sustinenda, sed consuetudinis Germanicae instar, quodotem non vxor marito, sed maritus vxori offerebat, *arti salutari* per pronubam doctrinam solidam interueniente quasi stipulatione spondet. Pulcherrimum atque ad commendandas nuptias

<sup>a)</sup> GEBÄVERI oratio de legitimo honoris & virtutis connubio.

ptias istas efficacissimam dotis speciem rerum publicarum & legum auctores atque rectores ponendam putarunt in publica meritorum agnitione, in titulis, locis honestioribus, immunitatis, amicitiae & clientelae solatio, & dulci honorarii solutione <sup>a)</sup>. Hoc consilio factum est, ut CONSTANTINVS itemque HONORIVS & THEODOSIVS Imperatores medicis, nominatim archiatris, aequa ac aliis disciplinarum doctoribus, qui in sacro palatio militarint, & qui comitiam primi & secundi ordinis adepti fuerint, tribuerint immunitatem ab omnibus muneribus tam personalibus municipiorum & curiarum, tam realibus, nominatim ab inhospitalitate militari & ciuili, & haecce privilegia in filiis eorum ac coniugibus adeo illibata custodiri praeceperint <sup>b)</sup>. Volebant insuper sapientissimi principes, vt mercedes iis etiam & salario redderentur, quo facilius studiis suis & artibus vacarent. Iuuat apponere ipsius Imperatoris CONSTANTINI verba, quibus ad VOLVSIANVM ita hac de rescripsit: „Medicos & maxime archiatros, vel ex archiatris, grammaticos, & Professores alios litterarum; & doctores legum, vna cum vxoribus & filiis, nec non & rebus, quas in ciuitatibus suis possident, ab omnibus muneribus, vel ciuibus vel publicis immunes esse praecipimus: vt neque in provinciis hospites recipere nec vlo fungi munere, nec ad iudicium deduci, nec eximi, vel exhiberi, vel iniuriam pati: vt si quis eos vexauerit, poena arbitrio iudicis plectatur. Mercedes etiam iis & salario reddi iubemus, quo facilius liberalibus studiis & memoratis artibus multos instituant.” Quare cum tales, & alii eiusdem generis honores, in his nominatim Comitia dignitas a iuri Romani auctoribus medicis etiam

B 3

attri-

<sup>a)</sup> ANTON. PEREZII praelectio-      <sup>b)</sup> L. 6. C. de Professor. & medici-  
nes in Codic. Lib. X. Tit. 52. tom. II.      cis, L. II. C. cod.  
Pag. 368.

attribuantur, valde errare videntur, qui artem medicam exercitentibus nobilitatem iuris ROMANI argumento non convenire putent <sup>a)</sup>. Quae excellens dignitatum species, si dicendum, quod res est, magis neganda videtur Poetis & calculatoribus, quos PHILIPPVS, DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS Augusti, medicorum & caeterarum liberalium artium doctorum immunitate & praerogativa non contineri rescripsérunt. Hac lege & hac dote ars medica in reipublicae Rectorum & lCtorum domum & manum conuenire solet eo scilicet fine, vt eos pulchra prole nimirum SANITATE, SALVTE CIVIVM, & IMMOTA DE REPUBLICA BENE MERENDI CONSTANTIA faciat parentes. Sed cum politicorum ordo in hac societate pater familias fieri soleat, patrum Romanorum more, qui habebant dominium in mo, seu potius imperium seu iudicium domesticum, reliquum est, vt de legibus imperii istius domestici quaeramus. In matrimonio & domo iudicem agit prudentia legislatoria in re gravi ad rem salutarem pertinenti, exhibito coniugis, artis medicae scilicet, consilio. Inde medici iurisiurandi religione semel initiati testimonio <sup>b)</sup> plena fides tribuitur de omnibus nempe rebus ad rem suam pertinentibus. Auctoritati interdum eo ipso absente de vulnerum lethalitate tamen chirurgi periti iudicium substituitur <sup>c)</sup>. Sed intra fines regni domestici, in quo pacata omnia, rector familiaris, iudicia, vbi opus est, honestissimae matrisfamilias regit secundum leges in salutem subditorum sive domesticorum latas. Inde si in medico iurisiurandi vinculo adstricto vel leuissimae negligentiae & fraudis suspicio emergat, iterum recte cogitur iurare <sup>d)</sup>. Porro hac ratione

<sup>a)</sup> L. 3. 4. C. eod. BRVNNEMANN comment. ad Cod. L. X. tit. LIII. pag. 1225, in f. TIRAQVELLVS de nobilitate. c. 31.

<sup>b)</sup> CARPOVII praet. crim. qu. 26.

n. 39. HOMMEL Raps. obs. 24. C. C. C. art. 147. L. 6. C. de re militari.

<sup>c)</sup> HOMMEL obs. 141.

<sup>d)</sup> Idem obs. 211. p. 217.

tione libenter fatemur, ROMANAM legislationem, qua, si aegrotus medico aliquid vendat, vel in eum donationis titulo transferat, metu concussionis id fecisse praesumitur, & hinc iste contractus rescinditur, etiam si non appareat laesio enormis.  
 a) Qua de re consultius erit medico cum aegroto contracturo, adhibere testes, qui liberam aegroti voluntatem affirmare possint b). Nam diserte VALENTINIANVS & VALENS Augusti dedecori esse putarunt medicis & saluti ciuium adversum passiones aegrotorum cum medicis de recuperanda invalida salute; & medicis permiserunt ea tantum accipere, quae sani & restituti offerant non ea, quae perditantes pro recuperanda salute promiserunt c). Et id quidem recte. Nam quamquam amicitiae & coniugii, quae iureconsultorum ordinem cum arte medica arcta copulent, non vilis sit auctoritas, ea tamè non usque adeo valitura sit, momento, ut rationis dictamina vincat, aut ciuium salutem. Haec praecipua quoque fuit causa, cur & profanis legibus est permisum sine spe lucri amicum consilio medico iuuare d). Itemque se ipsum licebit curare, quibusunque remediis placeat. Namque vestem propriam & calceos meos consuere possum, si lobet, sine vlla sartorum sutorumque invidia. Sed apparatus muliebris merito optioni & arbitrio coniugum relinquitur, nec ingenio peritorum & arti in experimentis & curis, medicamentis excogitandis vincula iniiciuntur. Inde medico vix interdicendum putarunt 1Cti præparationem medicamentorum tam arcanorum, quam vulgarium, quamquam vulgarium scilicet venditio & nundinatio eadem ex ratione prohibendae videantur e). Id quidem recte. Quis enim fabro interdicat,

a) L. 9. C. de Professor. & Medicis. L. 3. C. de extraord. cognit. c. 8. §. 5. LEYSERI med. ad D. sp. 189. m. 8. 9. 10.

c) L. 9. C. de Profess. & medicis.

d) HOMMELII Rhaps. obs. 505.

e) Ibidem, obs. 504.

ne ipsi sibi instrumenta faciat, vel Chirurgo, ne emplastra coquat? Annuit sententiae nostrae & PAVLVS ICtus<sup>a)</sup> qui medicamenta instrumentis medicis annumerat atque in receptis sent. lib. III. T. VI. §. 62. ita pronuntiauit: instrumento Medici legato collyria & emplastra & apparatus omnis conficiendorum medicamentorum, itemque seruamenta legato continentur.

Denique ICtorum & artis medicae connubium nihil magis declarat, quam eius dissidium seu *divortium*. In quo id singulare occurrit, quod illud nunquam cum bona ICtorum gratia, nec ex animi ira, sed ex coniugis vitiis marito lugente fieri solet. Ferri enim non posse nemo non videt, quod medicus perperam curet, vel aegrotum deserat. Quare, id qui facere non erubescat medicus, culpae reus sit, & vel poena arbitria puniendus vel vinculo coniugii istius plane sublato, fato suo relinquendus sit, necesse erit<sup>b)</sup>. Non potui non attingere rem tristem, odiosam atque luctuosam. Sed immorari non iuuat, & vt illa iterum animo excidat nostro, en togatam artis medicae virtutem Nobilissimi Candidati, & huius cum Honore a Legumlatoribus dignis proposito imminentes nuptias. Quae vt modo legitimo possint celebrari, mandato & nomine IOANNIS ANDREAE CRAMERI, Magnifici Procancellarii Nostri, qui felicet tum reipublicae, tum recuperandae valetudinis lectissimae familiae causa absens est, cuius praefectu haec omnia peragantur, vi potestatis a REGE AVGVSTISSIMO CLEMENTISSIMO illi concessae faciam, vt virtus tua, Nobilissime Candidate, pulcherrima virgo nobis luculenter probata ad templum ducatur, ad altare accedat, & in domum mariti opulentissimi recipiatur.

Quod

a) L. 18. §. 10. D. de instruct. & instrum.  
b) LEYSERI medit. a. D. sp. 60<sup>2</sup>. m. 21. seqq.

Quod igitur felix faustumque esse iubeat Deus T. O. M.  
huic in primis Mosarum sedi, & splendidissimo Medicorum Or-  
dini laetum & honorificum atque reipublicae & saluti ciuium  
salutare,

A V S P I C I I S   E T   A V C T O R I T A T E   M A G N I E I C E N T I S S I M I  
A C A D E M I A E   R E C T O R I S   A C   C A N C E L L A R I I   A V G U S T I S -  
S I M I   P O T E N T I S S I M I   S E R E N I S S I M I   R E G I S   E T   D O M I N I  
N O S T R I   C L E M E N T I S S I M I   C H R I S T I A N I   S E P T I M I   R E G I S  
D A N I A E   N O R V A G I A E   V A N D A L O R V M   E T   G O T H O R V M  
S V P R E M I   D V C I S   S L E S V I C I   H O L S A T I A E   S T O R M A -  
R I A E   D I T H M A R S I A E   E T   O L D E N B V R G I   R E L I Q V I

Mandato & praescitu

IOANNIS ANDREAE CRAMERI S. S. *Theologiae Doctoris*  
& Professoris primarii, nec non Academiae Procancellarii,

Ego

IOANNES DIETERICVS MELLmann, Iurium Doctor legi-  
time promotus, & in hac Academia Regia Professor Publi-  
cus Ordinarius, Academiae huius h. t. Proreector, Sacri Cae-  
fari Palatii Comes, & ad hunc actum Procancellarii

Vicarius

TIBI;

VIR EXCELLENTISSIME ET EXPERIENTISSIME  
IOANNE CHRISTIANE KERSTENS  
MEDICINAE DOCTOR ET PROFESSOR PVBL. ORDIN.  
ET ORDINIS TVI H. T. DECANE!

C

poteſta-

XVIII

poteſtatem facio & tribuo  
Candidatum prae nobilissimum & doctissimum

CONRADVM REPSOLD

Stada - Bremerſcm

more maiorum artis ſalutaris Doctorem creandi, renuntiandi  
atque edicendi, eique iura & insignia omnia, quae perfectis  
Aefculapii filiis conferri ſolent, tribuehdī. Fiant itaque istae  
caeremoniae, quales nuptiarum inſtar haberi, prudentes Maio-  
res non vno inſtituto ſunt teſtati.

ORATIO

# ORATIO

SVCCINCTAM ACADEMIAE KILONIENSIS HI-  
STORIAM A FESTO PASCHATIS VSQVE

AD DIEM DIVI MICHAELIS

ANNI MDCCLXXVIII.

CONTINENS

---

## DICTA

A. D. V. OCTOBRIS

IN

A B D I C A T I O N E

M A G I S T R A T U S A C A D E M I C I

ORATIO

DE CLOACIS AC AGATHIS IN CONVENTU  
S. THOMAE ALEXANDRIENSIS  
M. 1580

IN CLOACIS AC AGATHIS

VIRI ILLVSTRISSIMI PERILLVSTRES ILLVSTRES  
GENEROSISSIMI EXPERIENTISSIMI SVMME REVERENDI  
CONSVLTISSIMI CLARISSIMI  
PROFESSORES CELEBERRIMI COLLEGAE CONIVNCTISSIMI  
AVDITORES OMNIVM ORDINVM ATQVE  
DIGNITATVM HONORATISSIMI.

**Q**uae Pia feci vota, AVDITORES, HVMANISSIMI, cum  
vela ventis permiserim, quod precatus sum statim, ex quo e  
manibus amicissimi VELTHVSII, quem Deus amet, fasces  
Academicos acceperim, scilicet vt Deus Opt. Max. Senatui Am-  
plissimo, cuius tutela, eruditione & fama ACADEMIA NOSTRA  
acquiescit, dignitatem antiquam & gloriam conseruare, eius  
consilia tam reipublicae litterariae vniuersae, tam nostrae salu-  
taria, ciues nostros omnes saluos, fospites, resque nostras flo-  
rentes, ne multa, vt omnia denique consilia instituta, decreta  
ab aequo & bono, nempe a pietate, honestate & vtilitate tum  
publica tum priuata commendabilia esse velit atque iubeat: ea  
omnia ex votis nostris euenisce, nobisque magistratum acad-  
emicum optimam inconstantiae, vicissitudinis & fragilitatis re-  
rum humanarum imaginem lubenter sane deposituris contingere,  
vt absoluto nunc itinere possimus vOBIS, AVDITORES HVMA-  
NISSIMI, declarare, vniuersam hanc scholam nostram adhuc  
potenti DIVINA pariter ac REGIA tutela regi, in eaque pietat-  
em, virtutem, litteras magis magisque in dies efflorescere me-  
rito gratum atque honorificum nobismet ipsis censemus.

Cum initium omnis legislationis, quae aequitate & vtilitate  
se commendat, faciendum a Religione; omnino vehementer

laetamur, cum hoc tempore & ACADEMIA nostra de re ecclesiastica Kiloniensi bene sit promerita & communicatis cum amplissimo Senatu Ciuiico consiliis par oratorum facrorum rei ecclesiasticae ciuiae praeficere studuerit, qui tales se se praebuerunt, vt in iis egregia doctrinarum scientia pariter ac vitae clericalis honestas conspicuae spectentur. Magnam quidem fecit iacturam ACADEMIA & res Christiana nostra IOANNIS CASPARTS VELTHVSEN ad HELMSTADIENSES euocati. Talem virum nos proh! habuimus. Quanta ei doctrinae, cum vniuersae, tum maxime eius, quae ad disciplinam christianam pertineat, fuit copia, quanta sermonis suavitas, quanta ei inerat pectoris sinceritas, cognoverunt, quicunque eum vel disputantem de rebus suis, vel verbum diuinum praedicantem audiuerent, vel cum eo sermones familiariter contulerunt. Conservemus certe memoriam viri optime de nobis meriti, & maxime eius virtutes imitari conemur. Salua tamen res nostra est. Etenim fato ACADEMIAE felici factum est, vt ob elegantem doctrinam Regis clementia inuitaretur ad mutandam fortunarum sedem celebrissimus FVRMANNVS, cui data est in hac nostra professio sacrae Theologiae extra ordinem docendi, & cui in senatu nostro amplissimo hanc docendi prouinciam regia autoritate demandasse semper mihi gratum erit & honorificum, aequa ac rei litterariae nostrae salutare.

Sed REGIS optimi Clementia, benignitas, cura non vnius reipublicae academicae partis angustiis continetur, sed diuinae illius exemplo ad omnes pariter extenditur, omnes conatur coniungere vtilitates, & ad concordiam pulcherrimam, redigere. Ita volebat princeps vestigalia ACADEMIAE augeri existimans, his rebus bene constitutis & auctis suas, id est salutem patriae atque gloriam ACADEMIAE & artium bene constitui & vber-

vberrime augeri. Hinc illud consilium, quo Rex Clementissimus hereditatem quandam allodalem sibi delatam insigni clementia aerario Academico donavit. Similiter vt parsimoniam suam voluit esse partem vestigalis Academicici, ita constituit novum vestigal, quod sine cuiusque molestia est vberimum, dum pecunias, quae vel coercendis vitiis populorum, vel adiuuandis virtutibus soluantur, subinde fisco nostro solui, prouida benignitate pronunciauit. Harum autem fisci nostri locupletandi rationum finem constituit vtilitatem publicam, quam non in ipsius pecuniae copia posuit, sed in optimo eius usu ad partes reipublicae litterariae iuuandas. Aliud ex alio occurrit, AVDITORES & ego abruor rerum copia. Propensissima in litteras & doctrinas voluntate statuit AVGUSTVS noster, vt augeretur splendor suppellectilis pretiosae litterariae nostrae, cuius curam coniunctissimo Collegae viro venerando ERNESTO WILHELMO CHRISTIANI, nostrarum Athenarum decori potissimum demandauit, Voluit porro, vt Professores doctrina & iudicio instructi non GERMANIAM solum, sed & HOLLANDIAM, BRITANNIAM, NORVAGIAM peragrarent, vt in itinere in usum patriae perlustrarent Bibliothecas, instituta politica, scholaistica, oeconomica, mercatoria. Et auguror mox plura etiam & maiora esse sequutura.

Sed & fecit vniuersa corona ciuium ACADEMIAE nostrae, cui inscriptio est, *disce aut discede*, fecit omnino, vt se dignam cura optimi principis, cuius gloria ex amore patriae, piani & gratam praestaret. Vniuersa Musarum nostrarum sedes temperata est ex optima disciplina, quae amando docet & discit, imperat atque paret. Hic domicilum constituit beata tranquillitas. Quid inde mirum, non solum ex HOLSATIA nostra, sed ex reliquis etiam GERMANIAE regionibus, quid? ab remotis adeo BATAVIS & CVRONIS venisse, qui nostram disciplinam se expertere

tere dicant. Excitauit & meum animum & vires auxit Commilitonum aequi & boni studium ita; vt honestatis studium vtrimeque mutuo quasi foedere nobilitaretur, meum tam in docendo, tam in regenda ACADEMIAE familia, commilitonum tam in addisendo, tam in dirigendo omnem vitam ad normam verae *virtutis*. Custos iuris & priuilegiorum ACADEMIAE vniuersae, aequae ac singulorum, fui strenuus nec odia timens omnia p[re]ae eo, quod rectum & iustum intellexerim, contempnens. Exinde iucundum mihi est, quod mihi licuerit, vi priuilegii Imperatorii aequae ac Regii tres Notarios sive Tabelliones pronunciare iisque fidem publicam per totum Imperium Romano-Germanicum tribuere; nec non lapsus plurium personarum, per quos indignam honore conuersationem imbecillitate sexus elegerint, competenti moderatione subleuare, eisque spem melioris conditionis largiri, vt ad eam respicientes improvidam & minus honestam electionem facilius derelinquant. Recte enim, si quid videam, iudicavit IUSTINIANVS princeps hac re nos Dei benevolentiam & circa genus humanum nimiam clementiam imitari, qui quotidianis hominum peccatis semper ignoscere dignatur & poenitentiam suscipere nostram, & ad meliorem statum ducere <sup>a)</sup>. Subit adhuc animum meum suavis illa recordatio, contigisse & nobis singularem hanc felicitatem, vt mirabili & praeclara benevolentia SERENISSIMVS & CELSISSIMVS PRINCIPES FERDINANDVS, cuius nominis religioso aliquo horrore animi percussum sentio, superiori aestate nostram musarum sedem inuiserit, ibique Regis eiusque amicorum curas & consilia in ea ornanda tuendaque cognoverit, & in spem ac salutem patriae efflorescentem generosam & nobilissimam inuentutem in i[n]tuendis suis ipsius virtutibus docuerit, nullum, vel in magno adeo

<sup>a)</sup> L. 23. C. de de Nuptiis.

adeo principe immortalitatem merituro impendii genus esse dignius, quam quod erogatur in posteros <sup>b)</sup>.

O fortunatos Cives, quos tam leni, tam benigno, tam suavi imperio Diuina subiecit prouidentia. Agnosce felicitatem tuam, ACADEMIA, & agnitam, vt decet, aestima! In cuius felicitatis re-censione non ultimo loco ponendum arbitror, quod voluntas pa-riter Regis clementissimi, ac Patrum suffragium sequenti semestri Prorectorem iassituerint Virum perillustrem, excellentissimum Doctissimum CHRISTIANVM IOANNEM BERGER Regi a consiliis Status & apud nos artis salutaris Doctorem & Professorem publicum or-dinarium, Virum venerandum, iustitiae atque aequitatis amantem, in quo summa est rerumpublicarum memoria & experientia.

Accede igitur, VIR MAGNIFICE, & e manibus nostris acci-pe omnia ornamenta, omnem splendorem ACADEMIAE Pro re-toribus tradi solitum & clementissime TIBI a Rege concessum, praelito tamen prius solemini iuramento, quo fidem legibus debi-tam confirmes.

Igitur trado TIBI claves, atque simul cum his occupa ius in aedes Academicas ipsas & possessionem illarum Collegio nostro con-firmatam. Vnam quidem inter istas reperies clauem, qua ego se-mel tantum usus sum, & qua vt nunquam opus habeas, ex animo opto, sed si opus est, ita utaris, vt innocentes defendas, noxios foliummodo poena corrigas.

En statuta & priuilegia CHRISTIANAE ALBERTINAE pari-ter Imperatoria ac Regia auctoritate concessa & confirmata. Prote-ge & ferua ea ad sustentandam ACADEMIAE dignitatem, & in maximis minimis rebus, quae secundum eorum tenorem egeris, aequitatem atque iustitiam demonstra.

D

His

b) Quod mihi contigerit HUNC  
EROEM sagi & toga clarissimum,  
qui utrumque tempus & bellorum &  
pacis in ciuitum utilitatem regere di-  
citur, nomine Academias nostras se-  
quentem in modum alloqui semper  
mihi ducam gratum, honorificum  
atque salutare.

Die hiesige Königliche Universität schätzt  
sich glücklich, daß sie die gnädigste Erlaub-

nis erhalten hat, Euer Herzöglichsten Durchlaucht ihre tiefste Devotion zu be-  
zeugen, und in Höchstderoselben Person  
einen der erhabensten Fürsten Deutscher-  
lands zu verehren, die das Glorreiche Glück  
der Waffen angewendet haben, um die Kün-  
stle des Friedens zu erheben, und um das  
Glück der Wissenschaften und des nahen  
Verdienstes zu begründen.

His succedant sigilla minus & maius utrumque proprium professorum Ordinis vniuersi. Adhibe ista, ubi ACADEMIAE gloria comparanda & augenda usum eorum exigeant, memor omnino, quicquid signatum fuerit, TIBI & vniuerso collegio TVO imputari.

Adsum quoque Alba nostra, in quorum uno omnium ciuum nomina sunt, alterum autem est liber nouitorum. Opto quidem, ut Alma nostra TE teste & spectatore multos e Germania non solum, sed etiam e remotis regionibus recipiat alumnos, & eos olim praecones ingenii, doctrinae & humanitatis dimittat.

Iam solemni pallio summae scilicet autoritatis academicae inde es cingendus, atque pileo Prorectoris Magnifici ornandus. Summum quidem in rebus humanis fastigium conciliare subinde invidiam, nec raro abire solet in lacrimas. Sed salua res est, dummodo aliud putemus collegio praeesse, aliud imperare, quae plerisque difficilis est distinctio, quia in illa utilitas communis spectatur, in hac sua cuiusque cupiditas. Et sane tanto maiori cum fide amicitia & consuerudo familiaris & in rerum fastigio colenda videntur, quanto maius sunt praesidium ad humanae vitae suauitatem.

Denique utrumque TIBI trado sceptrum a Principibus Prorectori permisum non tam in dignitatibus sed portius & iurisdictionis siue potestatis iudicariae documentum, quae corruat necesse est, nisi iustitia aequitate circumscripta sustineatur.

Sic TIBI solemni ceremonia consecrato & exuuis meis & accessorum nostrorum ornato, primum locum ipsum cedo, TRIBIQVE primus obsequium sancte promitto. Quae rerum vicissim, fragilitatis humanae imago vi i cuique qui se ad maiora, quam terrena natum esse sentit, eo gratior esse debeat, cum omnino ab illa admoneremur, nos olim ultima rerum humanarum vice, ab incommodis cuiuscunq; generis, curis, molestiis, inuidia liberari. Fauxit summum, quod non ore, sed pia mentis meditatione & factis venerari ac profiteri studeo Numen, vt tunc totum animum ad virtutae exactae in terris, & futurae cogitationem transferens, eadem recti, boni & aequi conscientia, ac nunc magistratu Academico me abdicans dicere possim:


VIXI ET QVEM FORTVNA DEDIT CVRSVM PEREGI.

Kiel, Diss.; 1777-1800



5b.





BIGA

ORATIONVM  
ACADEMICARVM;

A V T O R E

IOANNE DIETERICO MELLMANN

IVRIVM DOCTORE ET ANTECESSORE IN ACADEMIA

REGIA KILONIENSI.

KILONII ET HAMBVRGI APVD BOHNIVM.

MDCCCLXXVIII.

